

DEDICATIO.

Maiestatis crimen atrocius est, quam ut per suspicionem ingeri
debeat, Ab eo se operosè purgare est penè crimen agnoscere. Si
eius rei sunt Remonstrantes, caussam non dicunt, sæviat in eos ira
Vestra ad extremum usque, tanquam in perduelles & patriæ ho-
stes. Sin insontes sunt, cogitate, quantum crimen sit eorum qui eo
innocentes gravant, ut afflictis afflictionem addant.

Hæc summa est Apologiæ huius. N. N. D. D. quam vobis
Remonstrantes offerunt & dedicant, non sponte sua, (vtinam id
liceret!) sed provocati, sed lacefitti, sed protracti ad tribunal ve-
strum; nec alio animo, quam ut vobis suani & Ecclesiarum suarum
fidem atque innocentiam probent, & id a vobis si possunt impe-
trent, ut, si eos favore vestro dignari nondum potestis, faltem eos
favore vestro non indignos esse intelligatis. Optassent se Loc tam
molesto labore defungi potuisse, sed per Ceniores vestros id non
licuit. Digladiationes & certamina de non necessarijs aut non val-
de utilibus ad salutem dogmatis ex animo aversantur, Theologia
eorum practica est, quæ in morum reformatioне totiusque adeo
vitæ ad præscriptum Iesu Christi correctione & directione po-
sita est, quæ vix constare potest inter acria ista dissidentium ac cer-
tantium studia. Difficile est clavum animi recta tenere in tam tur-
bido mari, ut non fluctibus contentionum aut abripiatur aut obrua-
tur. Sanctimoniæ & caritatis rudentibus opus est, ut Ecclesiæ &
cum Ecclesijs Respub. non fluctuant. Hinc arduas, subtiles &
elaboratas circa Religionem quæstiones vitant ut scopolos: Ignor-
are licet, quæ non nisi periculosè disputantur. Doctrina pietatis
plana, facilis, expedita & rudibus pariter atque eruditis obvia
est. Per eam recta itur in cælum. Cætera nec sine labore quæ-
runtur, nec sine periculo creduntur, & plerumque tantis ani-
mus agitantur, ut pietatis simul ac caritatis internacionem post
se trahant.

Vtinam Deus, Misericordiarum Pater, Rerum publicarum & Ec-
clesiarum Rectoribus aliquando spiritum illum mansuetudinis &
caritatis indat, ut sublatis partium studijs, de pietate ac pace inter
Christianos restituenda, illæsa necessaria veritate, consilia omnia stu-
diaque sua conferant! Nil dubium est, quin multa hominum mil-
lia tot malorum, odiorum, schismatum pertæsa, tam sanctum
propositum pijs votis, suspirijs ac studijs prosequerentur & fre-
quentes concurrerent ad sublatum concordiæ vexillum.

Istura